

per adhibitam in iis erudiendis operam, ad ecclesiastica beneficia quæ in votis habent pervenire valeant. Eiusdem Simonie rei sunt ipsi Magnates, aut alii qui domesticos illos præceptores, vel nullo vel tenui tantum stipendio donandos, ad capefendam liberorum aut nepotum suorum curam, pinguis cujuscumque beneficii spe alliciunt: tunc enim manifestè rem spiritualem pro temporali obsequio pollicentur.

3^o. Qui se Principum virorum & Procerum obsequio mancipant, ut tandem optimum vel pro se, vel pro suis beneficium arripere valeant. Pariter Principes viri ceterique Magnates Simonie conscii sunt, cum præstira sibi obsequia remunerant beneficiis, quæ vel ipsi conferunt, vel eâ quâ pollent autoritate extorquent.

4^o. Qui beneficium vel officium quidpiam spirituale alicui eâ lege confert, ut iste vel Collatori, vel alteri obsequium sive opus aliquod aliunde indebitum præstet.

CAPUT IV.

De materia Simonie.

SIMONIE materia, ut jam diximus, in iis tantum fita esse potest, quæ spiritualia sunt, vel spiritualibus annexa. Hujusmodi autem innumera sunt, in quibus suam veluti sedem habet Simonie labes. Ut brevitati consulamus, præcipuas tantum horum classes perlustrabimus, & quidem raptim, ne multa jam dicta repetantur. Agemus de Simonia quæ in sacrarum functionum exercitio, in Sacramentorum administratione, in beneficiis ecclesiasticis, in sanctarum Reliquiarum sacrorumque vasorum venditione, & tandem in admissione ad professionem religiosam committi potest.

ARTICULUS PRIMUS.

De functionibus ecclesiasticis quæ Simoniam admittunt.

Quæres 1^o. an. cantorum & musicorum functionibus quæ in Ecclesiis exercentur, subesse queat Simonia.

Respondeo in hujusmodi functionibus, quamvis exercentur à Laicis, posse delitescere Simoniam. Cum enim Officii divini partem constituent, & propter cultus solemnitatem fuerint institutæ, spirituales sunt; admoneri ergo debent hujusmodi homines, ne honorarium suis muneribus adjunctum accipiant, tanquam sui laboris pretium, aut *motivum* primarium; sed veluti stipendium unde vivant ab Ecclesia concessum.

Quæres 2^o. utrum in verbi divini prædicatione locus esse queat Simonie.

Resp. posse, quia ministerium illud spirituale est, cum propter salutem eorum quibus verbum divinum annuntiatur, institutum fuerit ad eumque finem ex se referatur. Hinc simoniaci reputandi sunt, qui in sacris concionibus habendis, eò præfertim spectant, ut laudes, plausus, famam sibi concilient, vel ut lucrum inde proveniens percipiant. In hujus autem vitii suspicionem merito veniunt, qui nihil non moliantur, ut verbi ministerium iis in Ecclesiis exercent, ubi pinguius stipendium rependitur; qui, postquam quodam in loco concionaturos se polliciti sunt, à suo promisso resiliunt, ut occasionem arripiant aliis in locis concionandi, unde copiosorem pecuniam ad se redituram norunt: item qui verbum divinum nuntiare detrectant, cum nonnisi tenuis mercedula ipsis proponitur; pariter qui suam omnem

vel amicorum suorum operam & industriam adhibent, ut sacram hanc functionem iis in locis obeant, ubi Magnatum gratiam captare possint, eorumque adminiculo dignitates ecclesiasticas assequi.

Quæres 3^o. an distributiones Canonicis in choro præsentibus fieri solitæ periculo Simoniæ subjaceant.

Resp. eas, cum Officio divino sint illigatæ, simoniacas esse posse. Quo vitio inficiuntur, quando Canonicus id sibi tanquam finem primarium proponit, ut distributiones recipiat; *Si hujusmodi distributiones*, ait S. Thomas, *recipit, quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committit & ita mortaliter peccat; si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id quod est necessarium ad sui sustentationem, Simoniam non committit, nec peccat.* (Quodlib. 8. q. 6. art. 1.)

Quæres 4^o. utrum in dispensationes à Superioribus Ecclesiasticis concessas irrepere Simonia possit.

Resp. in iis Simoniæ locum esse. Cum enim dispensationes sint actus potestatis ecclesiasticæ & spiritualis, si quid pecuniæ tanquam ipsarum pretium exigeretur vel rependeretur, tum simoniacæ labe fœdarentur. Quod vitium ut depelleret Synodus Tridentina, dispensationes gratuitò dari iussit, his verbis: *Quòd siurgens iustaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverint cum aliquibus dispensandum, id, causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum.* (Sess. 25. de reform. cap. 18.)

At, inquires, ea est Curia Romanæ consuetudo, ut pro dispensationibus matrimonii impedimenta spectantibus, pecuniam exigat, & quidem

ad majorem, quò propinquiores sunt cognationis gradus.

Resp. pecuniam hanc non exigi tanquam concedendæ dispensationis pretium vel *motivum*: sed meram esse commutationem; scilicet matrimonii intra quosdam consanguinitatis gradus non contrahendi obligatio, quâdam pecuniæ summâ commutatur, quæ pios in usum conferenda est; eodem ferè modo quo sese gerere solent Episcopi erga fideles quos, certam ob causam, à jejuniis lege liberant: ab iis nempe exigunt ut jejuniis substantiant elemosynas, suis facultatibus accommodatas. Præterea Curiam Romanam ab omni culpa liberare illud potest, quòd in exigenda pecunia id sibi propositum habeat; ut eo veluti freno licentiam coerceat dispensationes postulandi, quæ totidem sunt vulnera Canonibus inflicta.

ARTICULUS II.

De Simonia quæ in Sacramentorum administratione intervenire potest.

Quæres 1^o. an liceat ab iis temporale aliquid exigere, quibus administratur Baptismus, vel ab eorum parentibus aut susceptoribus.

Resp. id fieri non posse, citra Simoniæ, vel saltem turpis quæstus culpam, & Canonum injuriam qui illud prohibent: *Nihil à prædiciis prosum exigere moliantur*, ait Canon *Baptizandis.* (*Decret. part. 2. pag. 549.*) Nec refert utrum ante, an verò post Baptismum exigatur: utrumque enim veritum est. *Nec sub obtentu alicujus consuetudinis*, ait Concilium Lateranense sub Innocentio II, *antè, vel post à quoquam aliquid exigatur.* (*Can. 2. tom. 10. Concil. pag. 1102.*) Licitum tamen est accipere quidquid post collatum Baptismum gratuitò & spontè oblatum fuerit: Si quid verò nomine

elemosynæ, aut devotionis studio, peractio jam Sacramento, à fidelibus spontè offeratur, id licitè pro consuetudine locorum Minister accipere poterit. Ita Rituale Romanum Pauli V.

Quod de Baptismo dictum fuit, de Confirmatione etiam intelligi debet. Qui enim pro ea conferenda quidpiam exigeret, simoniacè ageret; siquidem rem spiritualem, nempe Sacramentum, pro temporali daret. Hinc Gelasius Papa sic vetat: *Baptizandis consignandisque fidelibus pretia nulla prafigant. (Decret. loco jam citato.)*

Quæres 2º. an Simoniæ reus sit qui in Missa celebranda, eum finem præcipuum sibi proponit ut comparet unde vivat, vel qui de pretio paciscitur.

Resp. huiusmodi Sacerdotem detestandæ Simoniæ conscium esse: rem enim spiritualem, omniumque augustissimam vili pretio quasi nundinatur. *Non potest Sacerdos, inquit S. Thomas, illâ intentione celebrare, . . . ut ex hoc pecuniam consequatur, quia peccaret mortaliter. (Opuscul. de officio Sacerdotis, part. 1.) Facere pacitionem de Missa celebranda, est simoniacum semper, ait S. Doctor (in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 2. ad 4.) Sic etiam pronunciat Concilium Remense ann. 1585: Sacerdotes qui de pretio paciscuntur ut Missas celebrent, . . . habeantur simoniaci. (Tom. 15. Concil. pag. 911.) Quàm horribile sit eorum crimen, qui in Sacro faciundo lucrum præcipuè intendunt, sic exponit Cardinalis Pullus: Quid Missarum solemnia contuitu temporalis commodi celebrare, nisi cum Juda Christum vendere tantò nequius, quantò resurgendo est sublimatus? (Part. 7. cap. 17. pag. 231.)*

Licitè tamen potest Sacerdos, quæ à fidelibus spontè offeruntur, accipere, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentationem vitæ, ait S. Thomas. (Ibid.) Si quando nihil, vel nonniã tenuè

stipendium receperit, non conqueratur, nec ullum indignationis signum exhibeat. Quinimò ab omni cogitatione vel desiderio muneris animum semper contineat, ne contra illud Christi mandatum peccet: *Gratis accepistis, gratis date.* Quæ ad Missarum stipendia pertinent, fusius in Tractatu de Eucharistia exposuimus.

Quæres 3º. quinam cenferi debeant Missas eo præsertim consilio celebrare, ut lucrum inde percipiant.

Resp. huic vitio maximè videri obnoxios 1º. eos qui singulis diebus Sacrum faciunt, quamvis parùm curent eo modo vivere, quem postulat adeò frequens Missarum celebratio. Si enim conscientiam suam tantisper interrogent huiusmodi Sacerdotes, ipsis deprehendere facile erit, se non pietate, sed cupiditate, ad eam Sacrorum frequentiam pertrahi. Quanto magis idem de iis sentiendum, qui gravis culpæ conscii, cujus vel etiam nomen à Christianis ignorari vellet Apostolus, vix interjectis paucis diebus, ad altare ausu temerario confcendunt, cum juxta Canones à Sacris diù abstinere, tantumque crimen longâ pœnitentiâ expiare deberent!

2º. Ordinum Ecclesiasticorum vel Regularium Superiores, qui de Sacerdotum sibi subditorum vivendi ratione parùm solliciti, eos hortantur, excitant, & quandoque compellunt ad Missam quotidie celebrandam, ne stipendiis fraudetur communitas: gravi huic incommodo ut occurreret S. Franciscus Assisius, (*d'Assise*) voluit quòd quocumque in loco fratres contenti essent unâ Missâ, præsciens fratres velle . . . Missas ad quæstum reducere, sicut videmus hodie fieri; ita narrat Alvarus Pelagius, ut refert Van-Espen. (*Jur. Eccles. tom. 1. pag. 498.*)

Quæres 4º. quinam in administrando Pœnitentiæ Sacramento existimari debeant simoniaci.

Resp. Eos omnes qui Sacramentum illud intuitu præferunt boni temporalis administrant. Inter simoniacos igitur merito numerandi sunt, 1^o. qui alicujus honorarii spe illecti, divitum magis quam pauperum confessiones excipere cupiunt; 2^o. qui primo loco eos pœnitentes audiunt, à quibus aliquid pecuniæ vel muneris accipere solent; 3^o. qui hujusmodi pœnitentibus absolutionem impertiunt, quam aliis à quibus nihil expectant, in simili casu denegarent; 4^o. qui pœnitentibus à quibus nonnihil munusculi vel sperant, vel jam accipere, satisfactiones non imponunt quas ipsis necessarias judicant; eos, inquam, omnes Simoniaæ expertes non crediderim, quia satis apertum est ipsos in administrando Pœnitentiæ Sacramento, propriam suam utilitatem præferunt querere.

Quæres 5^o. an licitè accipere possit Confessarius, quæ ipsi à pœnitentibus post auditas confessiones spontè offeruntur.

Resp. id absolute quidem posse, si indigeat, hoc tamen in praxi maxime periculosum est, quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum. (Deut. 16. 19.) Si experientiâ compertum habuit Confessarius, se hujusmodi muneribus deceptum, Ecclesiæ regulas aliquando violasse, nihil potest deinceps accipere, ne iterum peccandi periculo, sese temerè exponat.

Omni avaritiæ suspicionem à Confessario ita vitandam esse docet S. Carolus, ut nolit eum citra necessitatem in se recipere executionem restitutionis quam suis pœnitentibus imposuerit: *Restitutionum agendarum curam Confessores non suscipiant, nisi pœnitens id ab illis, ne detegatur, petierit; tuncque apocham ab eo cui restitutionem fecerit, pœnitenti reddendam accipiant, in eoque ita se gerant, ut vel umbram avaritiæ fugiant.* (Añ. Mediolan. part. 4. instruç. Confess. Edit. Lugd., an. 1687. pag. 667.)

Quæres 6^o. quanam Simoniaæ peccatum committant in Sacramento Ordinis vel conferendo, vel recipiendo,

Resp. simoniacum esse qui Ordines, interveniente pecuniâ, confert vel recipit, quia Spiritûs Sancti gratia Ordinationi illigata, nec vendi nec emi potest. Rarè quidem contingit ut in Ordinatione locum habeat munus à manu; sed in ea non infrequenter occurrit munus à lingua & obsequio. Non semel enim propter amicorum preces aut servitium vel præstitum, vel præstandum, Ordines eis conferuntur qui ab ipsis arceri deberent.

Quæres 7^o. utrùm Simoniaæ expertes sint ii qui ad Ordines vel beneficia promovendos examinant, si quid muneris pro ea functione accipiant.

Resp. id citra Simoniam fieri non posse, ut à Synodo Tridentina sic definitum est: *Caveant ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec antè, nec post accipiant; alioqui Simoniaæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis quæ quomodocumque etiam antè obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.* (Sess. 24. de reform. cap. 18.) Quinimò Concilium Mediolanense V prohibet ne examinis occasione unquam, vel esculenta quidem, poculentave capiunt. (Part. 3. Añ. Eccles. Mediol. pag. 212.)

Quæres 8^o. an simoniacum sit aliquid pro Sacramento Matrimonii exigere.

Resp. simoniacum quidem esse aliquid exigere, dare, vel accipere, tanquam hujus Sacramenti pretium; minime verb quidpiam dare vel recipere, & exigere tanquam stipendium, ex consuetudine quæ vim legis habeat constitutum.

Si aliqua exigantur, ait S. Thomas, quasi pretium rei spiritualis, ... est manifestè Simonia.

Si vero exigantur quasi quædam stipendia per consuetudinem approbata, non est Simonia, si tamen desit intentio emendi vel vivendi. (2. 2. q. 100. art. 2. ad 4.) Porro ex consuetudine quam generale Concilium Lateranense IV an. 1215, dicit *piâ devotione fidelium introduçtam*, id juris habent Pastores, ut aliquid stipendii recipiant post administratum Matrimonii Sacramentum. (Tom. II. Concil. pag. 220.) Ad rependendum igitur hujusmodi stipendium compelli possunt, qui illud pertinaciter recusaverint. *Innovamus*, ait Concilium Turonense an. 1236, *ut Sacramenta ecclesiastica gratis exhibeantur, inhibentes ut pro eis, antequàm fiant, aliquid petatur. Quibus gratis exhibitis, poterit peti quod de pia consuetudine exigi consuevit, subditos ad hoc per Prælatos censurâ ecclesiasticâ compellendo.* (Can. 4.)

At, inquires, aliquid exigere ante vel post Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ & Pœnitentiæ administrationem vetitum est; cur ergo id licitum erit post collatum Matrimonii Sacramentum?

Respondent Theologi hanc esse hujus discriminis rationem, quòd pietate fidelium inducta fuerit, ab Ecclesiæ approbata consuetudo, ali- quod stipendium pro collato Matrimonii Sacramento Pastoribus impertiendi; similis autem usus pro aliis Sacramentis non fuerit institutus.

ARTICULUS III.

De Simonia quæ in Beneficiis Ecclesiasticis occurrere potest.

Quæres 1^o. an simoniacum sit beneficia ratione temporalis emolumenti spectata vendere, vel emere.

Resp. id esse simoniacum; quia beneficium,

etiam prout in fructibus temporalibus consistit, pendet à spirituali, tanquam accessorium à principali: fructus enim non dantur, nisi propter officium; vendi ergo non potest beneficium, etiam ratione fructuum qui ex eo percipiuntur spectatum, quin simul vendatur spirituale; quod absque Simonia fieri non potest. Hinc generatim sic pronuntiatur jure canonico: *Si quis.... ecclesiastica beneficia, quæ Præbendas vocant, sub pecuniâ intervntu susceperit, sive dando emerit, sive accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione.* (Decret. 2. part. pag. 570.) Hinc etiam Canones declarant eos qui turpissimo mercatu venalia habent beneficia, his nummulariis designari quorum mensas evertit Christus in templo Hierosolymitano. *Per nummularios, ecclesiastici beneficii venditores designantur.* (Ibid. pag. 576.)

Quæres 2^o. an resignatio beneficii in favorem, citra Papæ consensum facta Simoniam contineat.

Resp. eam esse simoniacam; nam, juxta Canones, omnes pactiones super beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitæ sunt atque simoniacæ. (Lib. 5. Decretal. tit. 3. cap. 34.) Resignatio autem in favorem adjunctum habet pactum, ut scilicet beneficium tali duntaxat Clerico conferatur: ut ergo purgetur à Simonia jure ecclesiastico inducta, requiritur, aiunt Theologi, Summi Pontificis approbatio.

Inde colliges pariter simoniacam esse resignationem in favorem eâ conditione factam, ut resignanti solvatur annua pensio, nisi pactionem hanc approbaverit Sedes Apostolica. *Si quis*, ait Concilium Remense an. 1583, *de retinenda pensione sibi vel alteri paciscatur,.... vel aliam quamlibet pactionem à Sede Romana non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur.* (Cap. 23. n. 7. tom. 15. Concil. pag. 910.) Propter eandem causam simoniaca esset permutatio beneficiorum, adjunctam habens ali-

quam pactionem, v. g. solvendæ pensionis, nisi accederet Romani Pontificis consensus.

Quæres 3°. quandonam simoniacum sit dare pecuniam, ut removeantur vexatio & impedimenta, quibus prohibetur aliquis à beneficii consecutione & possessione.

Resp. 1°. Qui jus certum & inconcussum habet in beneficium, potest absque Simonia pecuniam dare, ut injustam vexationem redimat. Tunc enim pecuniam non tribuit pro re spirituali, cum eam habeat sibi verè acquisitam, sed pro injuria quam injustè patitur repellenda. *Postquam jus alicui acquisitum est*, inquit S. Thomas, *licet per pecuniam injusta impedimenta remove.* (2. 2. q. 100. art. 2. ad 5.) Si vero jus sit dubium, & vexatio justa; si Petrus, v. g. beneficium obtinuerit, & alter eidem intendat litem, eo quòd ejus vel electio, vel præsentatio, vel institutio controversiæ sit obnoxia, tunc citra Simoniam non potest Petrus pecuniam dare, ut ipsius competitor ab intentata lite desistat. *Dicendum*, ait S. Thomas, *quòd antequàm alicui acquiratur jus in quacumque Præbenda, ... simoniacum esset adversantium obstacula pecuniâ redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.* (Ibid.)

Resp. 2°. simoniam committere qui ad sese liberandum ab injusta vexatione, daret aliquid spirituale, v. g. beneficium, vel officium ecclesiasticum, quia hæc redemptio bonum est temporale, pretioque æstimabile: atqui simoniacum est pro temporali dare spirituale.

Quæres 4°. an simoniaca esset transactio, quâ duo Clerici de beneficio litigantes, inter se pacifcerentur alterum beneficio cessurum, & ab altero pensionem receptorum.

Resp. hujusmodi transactionem simoniacam esse, si privatâ transigentium autoritate fiat, quia ex

Jure canonico pactum quodlibet de re spirituali aliquam involvit Simoniam labem. Si verò ad dirimendam litem delecti fuerint sapientes arbitri, iique, causâ diligenter excusâ, pro bono pacis expedire judicaverint, ut alter litigantium possideat beneficium, & pensionem annuam alteri constituat, hoc judicium, si accesserit Romani Pontificis approbatio, ratum erit, & transactio ab omni Simonia purgabitur.

Quæres 5°. si alter contententium evidenter cognosceret sibi jus certum esse, possetne absque Simonia suo competitori beneficium dimittere, solâ pensione annuâ contentus?

Resp. eum fore Simoniam reum; spirituale enim, nempe jus certum quod habet in beneficium, daret pro bono temporali, nimirum pro annuâ pensione.

Quæres 6°. an simoniacè ageret alter litigantium, qui jus dubium habens hoc jure cederet; sed eâ conditione, ut alter ipsi certam pecuniam numeraret, ad compensandos sumptus, tum in adeundâ beneficii possessione, tum in prosequendâ lite factos.

Resp. illicitam esse, nec Simoniam carere hanc transactionem quia, ut supra diximus, res spiritualis pro temporali, nimirum pro numerata pecunia, tribueretur.

Alexander III olim rogatus fuit ut conventionem confirmaret, quâ Clericus cum Monachis de beneficio litigans, suo jure cessurum se spondebat eâ lege, ut Monasterium quamdam pecuniæ summam illi solveret, ad compensandos quos fecerat sumptus: quid autem responsi dedit Summus ille Pontifex? *Nos*, inquit, *eam compositionem non duximus admittendam, pro eo quòd videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* (Decretal. Lib. 1. tit. 35. cap. Cum pridem, Extrav. de pactis.)

ARTICULUS IV.

De Simonia quæ erga Sanctorum Reliquias, vasa sacra, & alia ejusmodi committi potest.

Quæres 1^o. an simoniacum sit Sanctorum Reliquias vendere.

Resp. simoniacam esse hanc venditionem; siquidem inter res sacras locum sibi merito vindicant Sanctorum Reliquiæ: 1^o. enim sunt veluti instrumenta, quibus Sancti ea bona opera perfecerunt, quæ ipsos cœlesti gloriâ dignos reddidere; 2^o. quia ex eorum numero sunt, quæ ad cultum fidelium pertinent, & quolibet Ecclesiæ sæculo pertinuerunt; 3^o. sanctarum Reliquiarum occasione Deus multa & grandia patravit miracula. Capsulæ tamen in quibus asservari solent, vendi possunt, modo propter ipsas quas continent Reliquias nihil exigatur.

Quæres 2^o. an vasa sacra vendere liceat.

Resp. ab ea venditione prorsus abesse Simoniam, modo non vendatur ipsa consecratio quæ aliquid spirituale est, sed materia tantum ex qua constant, & artificium quo elaborata sunt; hæc enim sunt quidpiam temporale, & pretio æstimabile. Tunc autem venditur consecratio, cum propter ipsam vasa sacra majori pretio veneunt. *Vasa sacra*, inquit S. Thomas, nullo modo ratione consecrationis vendenda sunt, ut scilicet pro consecratione eorum aliquid plus exigatur; tamen in necessitate Ecclesiæ possunt vendi ex parte ejus quod in eis non spirituale, scilicet materia auri & argenti: & tunc si venduntur ecclesiasticæ personæ, possunt integra vendi; sin autem vendantur aliis, non ad usum Ecclesiæ, debent prius frangi, præmissâ oratione, ne Sancta ab aliis irascantur quam à Ministris Ecclesiæ. (In 4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad 1.)

Quæres 3^o. quænam sint causæ propter quas liceat vasa sacra vendere.

Resp. ea vendi posse, 1^o. pro sublevandis pauperibus, quando iis aliter subveniri non potest; 2^o. pro redimendis captivis, cum eos à dura servitute liberandi non alia suppetit ratio; (Decret. part. 2. pag. 1012.) 3^o. cum id exigit communis quædam Reipublicæ necessitas, ut si aliter sustineri non possit grave bellum; 4^o. ad dissolvendum quo obruitur aliqua Ecclesia æs alienum, si non habeat quo creditoribus satisfacere possit. Ita statuitur Jure Canonico: *Si Ecclesia*, inquit, *habet superflua vasa, nec aliunde solvere valet, integra vel aliis locis venerabilibus dentur, vel constata cuilibet alii vendantur.* (Can. Hoc jus, caus. 12. quæst. 2.)

ARTICULUS V.

De Simonia quæ in admissione ad professionem religiosam committi potest.

Cum aliud de divite, & aliud de paupere Monasterio judicium esse debeat, alterum ab altero secernendum est. Quapropter articulum istum duos in paragraphos dividimus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De Simonia quæ in Monasterium dives irrepere potest.

Divitis Monasterii nomine hic intelligitur illud, ejus reditus majori quam continet personarum numero honestè sustentando sufficiunt.

Quæres 1^o. utrum Monasterio diviti liceat aliquid

exigere pro candidatorum, quos ad probationem admittit, victu & vestitu.

Resp. id licitum esse, ut apertè colligitur ex iis Concilii Tridentini verbis: *Neque ante professionem, excepto victu & vestitu, novitii vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu, à parentibus vel propinquis, aut curato-ribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.* (Sess. 25. de Regular. & Monialib. cap. 16.) Et sanè æquitati maximè consentaneum est, ut novitii qui in Monasterii bona nihil juris habent, cum nondum sint ejus membra, suis sumptibus nutriantur & vestiantur.

Hæc autem de jure communi intelligenda sunt. Quorundam enim ordinum specialia sunt statuta, quibus prohibentur ne quid à candidatis exigant. Sic, v. g. vetant Carthusianorum Constitutiones: *A novitiis, nec vestis, nec aliud exigatur. Si Prior exegerit, sit extra sedem quadraginta diebus, & totidem faciat abstinentias sine misericordia, infra sex menses; si Procurator vel alius exegerit, sit per quadraginta dies novitius, & totidem in capitulo recipiat disciplinas: ita refert Dionysius Carthusianus, Tract. de Simonia, art. 16. libri primi, pag. 435. edit. an. 1532.*

Caveant Monasteria quæcumque, ne ultra impensas per tempus probationis faciendas, aliquid ex novitii bonis accipiant, etiam spontè oblatum. Id enim vetat Synodus Tridentina, *quocumque prætextu fiat: quod decretum sapientissimum est.* Sic enim consulitur, tum libertati è Monasterio exeundi, quam integram retinere debent novitii; tum libertati Monasteriorum, ut candidatos dimittant, cum eos religiosæ professioni minimè idoneos judicaverint.

Quæres 2º. an citra Simoniam possit Monasterium dives contributionem pecuniariam ab iis exigere, quos ad professionem admittit.

Resp. id illicitum esse & simoniacum. Hæc enim pecunia non exigeretur, nisi vel propter victum & vestitum personæ solemniter vota emissuræ; vel propter ipsam Religionis professionem: atqui dici non potest hanc pecuniæ exactionem fieri ut personæ victui provideatur; siquidem Monasterium, ut potè locuples, sine incommodo potest victum & vestitum subministrare; superest igitur ut ista contributio pecuniaria, propter ipsam professionem religiosam exigatur, quod profectò verum nominis Simonia est. Quid enim id aliud est, quàm temporale pro spirituali exigere? Nemo quippè negaverit Religionis professionem esse quidpiam spirituale, cum per eam homo totum sese Deo consecret & devoteat.

Rationi accedit Conciliorum autoritas. *Prohibemus*, inquit Turonense an. 1163, *ne ab iis qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur: . . . unde quisquis hoc attentare præsumpserit, tam ille qui dederit, quàm ille qui receperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum.* (Can. 6. tom. 10. Concil. pag. 1420.) Concilium generale Lateranense III an. 1179, sic vetat: *Monachi non pretio recipiantur in monasterio.* (ibid. pag. 1514.) Lateranense IV. generale an. 1215, cui præfuit Innocentius III, Pontifex doctissimus, ad comprimendam Simoniam labem quæ in pleraque Monasteria serpebat, sic constituit: *Quoniam Simoniacæ labes adeò plerisque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare, ne id de cetero fiat penitus prohibemus.* (Can. 64. tom. 11. Concil. pag. 217.) Deindè, propositâ penâ gravissimâ, sic pergit Concilium: *Hoc etiam circa Monachos & altos Regulares decernimus observandum.* Alia benè multa Conciliorum, Summorumque Pontificum decreta proferre, si brevitatis fineret, facile esset. Objicies eam invaluisse consuetudinem, ut Mo-

nafteria, etiam opulenta, pecuniariam contributionem ab iis exigant, quos ad professionem religiosam admittunt, & proinde à peccato excusari.

Resp. nequicquam huiusmodi Monasteria suum in patrocinium advocare consuetudinem. Hanc enim ratiunculam in antecessum profligârunt Concilia & Summi Pontifices. Alexander III in Concilio generali Lateranensi III an. 1179, cum prohibuisset ne quis pro ingressu in Religionem pecunias exigeret, excusationem à consuetudine petitam sic explodit: *Ne sub obtentu cuiusdam consuetudinis reatum suum quis tueatur* (Tom. 10. Concil. pag. 1563. cap. 10.) Idem habet Summus ille Pontifex in Concilio Turonensi, an. 1163, & rationem hanc subjungit, *quia diurnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.* (Ibid. pag. 1420.) Synodus Senonensis an. 1528, sic vetat: *A quibus (Religionem profiteri cupientibus) nihil prorsus prætextu consuetudinis ... exigatur.* (Cap. 28. tom. 14. Concil. pag. 475.) Indè colliges diligenter erudiendas, & severè arguendas esse Moniales, quæ consuetudinem à Conciliis & Summis Pontificibus totiès damnatam sequuntur.

Quæres 3^o. an peccent Moniales divites, quæ dotem quidem et annuam pensionem non exigunt à puellis vota emisuris; sed quæ requirunt ut, juxta consuetudinem, aliquid muneris, calicem, v. g. Ecclesiæ tribuant, vel quamdam pecuniæ summam in convivia, ipso professionis die celebrari solita, impendendam.

Resp. id esse illicitum, nec à Simoniæ vitio excusari posse Moniales, quæ ex talibus donis puellarum sese Deo consecrare cupientium professionem suspendunt. Hunc morem sic prohibet Urbanus V: *Universis Prioribus, Abbatibus, Abbatissis, Priorissis, ... quamvis sit eis à jure prohibitum, districtius inhibemus ne tam à maribus quàm à mulieribus, ingredi eorum Religionem volentibus,*

in

in earum personarum receptione, vel ante, vel post illam, quoscumque pastus, seu prandia, seu cœnas, vel jocalia, aut res alias, etiam ad usum ecclesiasticum, seu quemlibet alium pium usum deputatas, vel deputandas, directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo presumant. (Lib. 5. Extravag. communium, pag. 321.)

PARAGRAPHUS II.

De Simonia quæ locum habere potest in Monasteriis pauperibus.

Monasterium pauper illud dicimus quod, refecata omni superfluitate in ædificiis, in supellestili, in victu, &c. vix habet unde sibi jam aggregatos nutriet, quibus, si eorum numerus augetur, necessaria essent defutura.

Quæres an Monasterio pauperi liceat aliquid ab iis recipere, & exigere, qui ad professionem religiosam admittuntur.

Resp. id licitum esse, modò legitima sit intentio, nec plus exigatur quàm congruæ sustentationi necessarium sit. Concilium enim Senonense an. 1528, expressè declarat puellam ultra numerum constitutum posse in Monasterium admitti, dummodò congruam secum afferat pensionem, quâ cum ceteris Religiosis numerariis alatur. (Tit. 28. de Decretis morum, tom. 14. Concil. pag. 475. & 476.) Mediolanense I sub S. Carolo, vetat ne præscriptus Monialium numerus augeatur, nisi factâ Monasterio annuâ quæ satis sit fructuum accessione. (Act. Eccl. Mediol. pag. 38.) Hoc Mediolanense decretum totidem verbis repetit, summque facit Concilium Turonense an. 1583. (Tit. de Monialibus.) Eadem est S. Thomæ doctrina: Cum possessiones alicujus loci religiosi non sufficiunt ad sustentandum plures, tunc potest exigi ab eo qui in

Tom. V.

L

loco illo vult Deo servire, non quasi pretium Religionis; sed ut habeat Monasterium, unde possit ei providere, & idèd non committitur Simonia. (In 4. dist. 25. q. 3. art. 2. quæstionc. 2. ad 7.)

Nec objicias id sapere Simoniam; dos enim vel pensio non datur, vel exigitur pro spiritali, sed pro temporali, nimirum pro victu & vestitu quibus ministrandis impar est Monasterium indigens.

Dixi autem 1^o. *modò legitima sit intentio*, ex parte scilicet tum dantis pecuniam, tum Monasterii eam recipientis; cavendum est enim ne quid detur vel exigatur, tanquam professionis religiosæ pretium; qua in re gravis foret Simonia. Præterea qui recipiunt ita debent esse animo comparati, ut nisi cogeret inopia, nullam exigerent dotem. Quoties verò contingit ut Monasteria fictitiam obtendant paupertatem, & superfluitatem pro necessitate habeant!

Dixi 2^o. *Si non plus exigatur, quàm congruæ sustentationi necessarium sit*: nihil enim ultra potest absque Simoniâ exigi; siquidem solo Religionis titulo requireretur; quid autem id aliud esset; quàm temporale pro spiritali exigere? De pensionibus quæ à Monasteriis recipi possunt sic à Ludovico XIV constitutum est 28 Aprilis an. 1693: *Lesdites pensions ne pourront, pour quelque cause, & sous quelque prétexte que ce puisse être, excéder la somme de cinq cents livres par chacun an dans notre bonne ville de Paris & autres, dans lesquelles nos Cours de Parlement sont établies; & celle de 350 livres dans toutes les autres villes & lieux de notre Royaume. (Recueil des Edits, &c. imprimé à Besançon en 1747. tom. 1. pag. 280.)*

Dices: Concilium generale Lateranense IV sub Innocentio III celebratum an. 1215, vetat ne quid Monasteria recipiant, etiam paupertatis prætextu; non potest igitur Monasterium, quantumvis pauper, ab iis aliquid exigere qui statum religiosum sunt amplexuri.

Resp. Quòd Monasterium pauper nihil exigit, res est meræ disciplinæ, quæ longè ante Synodum Lateranensem IV in usu erat, & quam renovare voluit hoc Concilium; sed in eo capite nec receptum, nec in usu fuit, etiam S. Thomæ temporibus: Sanctus enim ille Doctor Monasteriis pauperibus permittit, ut à Religionem ingressuris aliquid exigant, cum aliter eos sustentare non possent, quin alii jam recepti necessariis fraudarentur. Ita respondet Juenin. (*Theolog. Moral. tom. 6. pag. 36.*)

C A P U T V.

De pœnis contra Simoniacos constitutis.

NOTA 1^o. licet grave crimen sit *mentalis simonia* quæ scilicet in mente sistit, nec foras per aliquod pactum exterius erumpit, nulli tamen pœnæ canonicæ subjacet; at sufficit *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, ut ait Gregorius IX. (*Lib. 5. decretal. tit. 3. cap. 46.*)

Nota 2^o. nullam pœnam à jure latam esse, nisi pro Simonia quæ in professione religiosa, in Ordinibus sive conferendis, sive recipiendis, & in beneficiis committitur. *Beneficium* autem nomine hic intelligitur quodlibet munus, cui spiritalis quædam jurisdictio vel administratio conjuncta est, quælibet sunt in Ordinibus Monasticis officia *Priorum, Guardianorum, Correctorum, Provincialium, &c.* & alia id genus quæ ad regimen spirituale pertinent. Hanc triplicem duntaxat Simoniam pœnis multari voluit Ecclesia, eò quod inde graviora mala profuere, & majus canonicæ disciplinæ periculum imminere prospiceret.

Quæres igitur 1^o, quas in pœnas incurrant,

qui Simoniam in professione religiosa commiserunt.

Resp. jure canonico sancitum esse, ut tam dantes quam accipientes, si sint singulares personæ, excommunicationis; si verò sit Capitulum vel Conventus, suspensionis sententiis eo ipso subjaceant; à quibus præterquam in mortis articulo, absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentiâ speciali. (Lib. 5. Extravagant. commun. pag. 322.) Præterea si quis ad professionem simoniacè admittus fuerit, licet valida sit professio, recipiens tamen & receptus, cum per sententiam convicti fuerint, in arctius Monasterium sunt retrudendi, & perpetuæ pœnitentiæ subjiciendi. (Lib. 5. decretal. tit. 3. cap. 25.)

Quæres 2^o. quænam sint pœnæ iis impostæ qui Ordines simoniacè vel contulerint, vel receperint.

Resp. Qui Ordines simoniacè conferunt vel recipiunt 1^o. in excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrunt: (Lib. 5. Extravag. cap. 2.) inter Ordines autem quorum simoniaca receptio vel collatio pœnam excommunicationis inducit, annumerari solet prima Tonsura quæ dicitur Clericalis Ordo; (Lib. 1. decretal. tit. 14. cap. Cum contingat.) quia per eam homo in Clericorum numerum admittitur. 2^o. Ordinans & Ordinatus sunt ipso facto suspensi, alter scilicet à collatione omnium Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, saltem per tres annos; (Lib. 5. decretal. tit. 3. cap. 45.) alter verò non ab Ordine tantum quem simoniacè recepit; sed ab aliis etiam quos ante susceperat legitime. (Extravag. Cum detestabile, de Simon.)

Quæres 3^o. utrum à suis Ordinibus sit suspensus qui simoniacè quidem Ordinatus est, sed hujus Simonix nullo modo fuit particeps, quia eo prorsus infcio, commissa est.

Resp. Affirmat S. Thomas his verbis: Si eo nec volente, nec sciente, per alios alicujus promotio

simoniacè procuratur, caret Ordinis executione; (2. 2. q. 100. art. 6. ad 3.) hancque rationem affert: Quia nullus potest licite retinere id quod contra domini voluntatem acquisivit, ... Dominus autem cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur. (In corp.) Præterea generatim & sine ullo discrimine suspensi pronuntiantur, qui simoniacè Ordinati fuerint. (Extravag. Cum detestabile.) Ita sentiunt Natalis Alexander, Pontas, & alii.

Negant autem alii, inter quos Cabassut; 1^o. quia non fat gravis est ratio quâ nititur opposita sententia: si enim Episcopi Simonia esset mentalis duntaxat, Ordo contra Domini voluntatem conferretur, & tamen qui eum susciperet minimè suspensus esset; 2^o. quia juxta regulam ab omnibus receptam, leges odiosæ potius restringi debent, quam extendi. Posterior hæc sententia videtur magis probabilis.

Quæres 4^o. quibus pœnis plectatur Simonia in beneficiis commissa.

Resp. 1^o. Excommunicatione Papæ reservatâ ipso facto constringuntur, qui beneficium simoniacè receperunt, contulerunt, aut quovis modo huic rei operam dederunt. (Extravag. Cum detestabile.) 2^o. Irrita est ac nulla electio, præsentatio, resignatio, vel collatio simoniaca, nullumque jus tribuit; ita ut simoniacus, etiam occultus, ante omnem Judicis sententiam teneatur beneficium dimittere, & omnes ejusdem fructus restituere, cum in illud nihil juris acquisierit. (Ibid.) Qui beneficium obtinuit, interveniente Simonia, cujus nullo modo fuit particeps, & quæ, eo prorsus nesciente, ab aliis commissa est, tenetur illud abjicere, statim atque facti notitiam habuerit. Ita pronuntiavit Clemens III erga Clericum in cujus gratiam pater suus, eo infcio, beneficium simoniacè obtinuerat. (Cap. Ex insinuatione, de Simon.) Cum enim prorsus irrita sit collatio, nullus superest titulus

legitimus ad possidendum hujusmodi beneficium. Non tenetur tamen fructus in bona fide consumptos restituere, sed eos tantum quos percepit, ex quo Simoniam commissæ notitiam habuit: ita S. Thomas. (2. 2. q. 100. art. 6. ad. 3.) 3^o. Qui beneficium per Simoniam rapuit, ad illud de novo impetrandum fit inhabilis. (Cap. 27. de Simon.) *Dispensare autem cum eo qui est beneficiatus simoniacus scienter, solus Papa potest*, inquit S. Thomas. (Ibid. art. 6. ad. 7.)

Quæres 5^o. an trium annorum possessio faveat Clerico, qui per Simoniam ab aliis commissam ignorans & bonâ fide beneficium tribus annis habuit.

Resp. ea de re diffidere Theologos & Canonistas. Alii, inter quos Pontas, contendunt Clericum de quo agitur, etiam si pacificâ trium annorum possessione, bonâ fide & nescius Simoniam in sui gratiam commissæ, beneficium retinisset, eodem privari debere; quia scilicet, inquit, regula de trium annorum possessione iis tantum favet, qui absque Simonia beneficium ingressi sunt. Statuit enim *ut si quis beneficia, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, per triennium pacificè possiderit, . . . super iis beneficiis sic possessis molestari nequeat.*

Alii verò existimant regulam de trium annorum possessione iis patrocinari, qui toto triennio nullam habuerint cognitionem Simoniam in ipsorum gratiam commissæ; quia præfata regula, inquit, eos tantum à præscriptione videtur excludere, qui beneficia simoniacè ingressi sunt; id est, qui per Simoniam à se adhibitam, ad beneficia pervenêre; quod de eo dici non potest, qui Simoniam pro se ab aliis adhibitam nec cognovit, nec ratam habuit: ita cum multis Cabassutius: *Si quis bonâ fide, inquit, beneficium obtinuit alieno interventu, ignorans Simoniam pro hac re ab altero commissam,*

juvabitur beneficio triennalis possessionis pacificæ, si integro triennio hujus Simoniam notitiam non habuerit. (Theor. & prax. juris canonici, lib. 5. c. 8. n. 3. pag. 370. edit. Pichaviens. an. 1738.)

Quæres 6^o. an per Simoniam amittat aliquis beneficia quæ antea legitime obtinuerat.

Resp. beneficia prius legitime impetrata, non vacare per Simoniam subsequenter; tum quia hujus poenæ nulla fit in jure mentio, & odia sunt restringenda; tum quia fatis est ut in eo puniatur aliquis, in quo peccavit, nisi aliud sit jure expressum.

Quæres 7^o. quænam sint poenæ adversus Simoniam *confidentialem* constitutæ.

Resp. simonia *confidentialis* reos 1^o. omnibus poenis subiacere, quæ contra eos latæ sunt, qui beneficia simoniacè obtinent; 2^o. omnibus beneficiis & pensionibus ab iis legitime prius acquisitis privari, non tamen ante Judicis sententiam, quæ eos *confidentiam* simoniacæ convictos declaret, quia iusto titulo possidentur.

C A P U T V I.

De obligatione restituendi quæ simoniacè accepta sunt, & cui fieri debeat hæc restitutio.

QUÆRES 1^o. utrum restitui debeat vel pecunia, vel quidlibet aliud pretio æstimabile, quod simoniacè fuit acceptum.

Resp. id restituendum esse: cum enim homines rerum spiritualium non sint domini, quidquid preii ex nefandâ earum nundinatione percipiunt, ad

ipfos non pertinet: *Dicendum*, inquit S. Thomas, quoddam pecunia, vel possessio, vel fructus simoniacè accepti debent restitui. (2. 2. quæst. 100. art. 6. ad. 4.) Pariter jure canonico præcipitur, ut qui pro dando assensu electioni simoniacæ quædam receperint, sine diminutione restituant, cum ea sine gravi suæ salutis periculo retinere non possint. (Lib. 5. Decretal. tit. 3. cap. 11.)

Quæres 2^o. an teneatur elector pecuniam restituere quam accepit, ut cuiusdam Clerico suum daret suffragium, qui beneficio dignior est quam alius competitor.

Resp. restitutioni obnoxius esse electores, qui pecuniam receperunt, etiam ut digniorem minus digno anteferrent; quia in restituendi obligationem incurrit, quisquis pretium accepit pro re spirituali, in quam nullum habet dominium; tunc enim nullus ei suppetit titulus legitimus, propter quem pretium acceptum retinere licitè valeat: hujusmodi autem est elector de quo agitur.

Quæres 3^o. an restituere debeant qui pecuniam accepere, ut in committenda pro beneficio Simonia, sese alterius adjutores præberent.

Resp. ab iis restituendum esse quidquid pro turpi illo ministerio ipsis datum fuit, quia nullum habent titulum, quo id legitime retinere possint. Quinimò tenentur in solidum ad restitutionem fructuum quos percepit Beneficiarius, si iis restituendis impar sit; cum enim injusti alicujus facinoris causa principalis restituere non potest, obligationem hanc subeunt qui criminis participes sese præbuerunt.

Quæres 4^o. cui fieri debeat restitutio pecunia pro beneficio acceptæ.

Resp. eam fieri debere Ecclesiæ quæ per Simoniam hanc præcipuè læsa fuit. *Dicendum*, inquit

S. Thomas, quoddam pecunia, vel possessio, vel fructus simoniacè accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt, non obstante quoddam Prælatus, vel aliquis de Collegio illius Ecclesiæ fuit in culpa; quia eorum peccatum non debet aliis nocere; ita tamen quoddam, quantum fieri potest, ipsi qui peccaverunt, inde commodum non consequantur; si verò Prælatus & totum Collegium sunt in culpa, tunc debet cum autoritate Superioris, vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari. (2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 4.)

Quæres 5^o. cui restituere debeat Parochus quæ simoniacè accepit pro quibusdam functionibus exercendis.

Resp. Si quidpiam temporale Parocho datum fuerit, ut ea faceret quæ ipsi prohibita sunt, ut, v. g. interesset Matrimonio cui ne interesset vetant Canones, tunc pauperibus erogandum esset Simonia pretium: cum enim turpiter datum fuerit, eo privari debet qui dedit; sed danti restituendum foret, si eo tantum consilio tribuisset, ut ab injusta Parochi vexatione sese redimeret: ratio est, quod personæ quæ injustè læsa fuit, fieri debeat restitutio.

